

DE GUSTU
VETERUM
IN STUDIIS LITERARUM
RETINENDO


*Oratio habita jussu & nomine Universitatis,
ad solemnem præmiorum distributionem, in
majoribus Sorbonæ scholis, die 12^a Augusti,
1750. à CAROLO BATTEUX, Eloquentiæ
Professore in Regia Navarra.*



PARISIIS,
Apud ANTONIUM BOUDET, Typographum,
viâ Jacobea.

M. DCC. L.





DE GUSTU VETERUM IN STUDIIS LITERARUM RETINENDO O R A T I O.



UÆRENTI mihi quodnam potissimum sequer dicendi argumentum, in tanto & tam illustri literatissimorum hominum conventu; nihil prius visum est, nec magis sive loco huic, sive muneri meo recepto accommodatum, quàm si hujusce instituti consilium ipsum, quod esset, paulò altius repeterem, quique fructus ex eo, non literis solùm, sed civibus maximè nostris, atque adeò toti Reipublicæ caperetur: ILLUSTRISSENATUS PRINCEPS, ILLUSTRISSEMI PRÆSIDES, INTEGERRIMI SENATORES, CÆTERIQUE AUDITORES SPECTATISSIMI.

Juvenes hinc cerno quidem liberalissimos, intentos animis & spe laudis pulcherrimæ arrectos; inde verò paratas laureas Musarum, & quæ honestissima esse possunt ingeniis decora atque ornamenta: sed quæ tamen animum diligenter attendenti, ita æstimari necesse sit, ut non tam seges gloriæ adulta illa esse videatur, quàm veluti semen sparsum majoris frugis inde proventuræ; non tam definitus ac propositus literarum studiis terminus, quàm quædam via inventa profectûs ulterius expediendi, studiaque ipsa ac literas ad finem suum destinatum promovendi.

Quorsum enim studia illa celebrantur tantopere, tot modis nunc & olim juniorum civium ingeniis inculcata & instincta? Id opinor veteres videre, qui hoc ita fieri instituere, gustum literarum bonum cum virtute conjunctissimum esse; consuetudinem

inde optimarum rerum animis hominum ingenerari ; civesque novitios, studiis illis instructos, paratiores venire in societatem aliorum civium, cum illo fuerint quasi tyrocinio vitæ civilis exercitati & perfecti.

At quoniam illa literarum munera perire necesse est, vel etiam in pejus corruere, nisi vera earum natura, verus usus fuerit ; hinc mihi suasit animus, ut ex Gustu veterum dicendi argumentum caperem, eumque præcipuâ laude extollerem, qui jam fermè defluere videtur, & elabi è manibus nostris, hac præsertim inclinatione ingeniorum, quâ nova omnia mirum in modum placent, & optima quæque ipsâ fruendi satietate obsolevere.

Sic autem in disponendâ Oratione ingrediar, ut, quamobrem Gustum veterum in studiis literarum retineri oporteat, id prima parte constet : Quonam vero modo, aut quâ arte retineri possit, id alterâ parte explicetur.

Nec me hoc fefellit, AUDITORES, quantum periculi adiretur in tractando ejusmodi argumento ; quippe qui intellexerim me, sicubi in totâ oratione negligens fuerim, aut saporis illius antiqui non satis memor, visum iri causam talem imprudenter recepisse in me ; aut etiam, sparsis ullâ in parte neotericorum munditiis, in causâ receptâ prævaricari.

Sed erit mihi tanti, si modò Almæ bonarum artium parenti ACADEMIÆ, cujus in eâ re laus usquequaque fuit eximia, & sanctissimo SENATUI, cui hæc studia cordi semper fuere, & verò sunt nunc maximè, & etiam viris qui audiunt eruditissimis, & in doctrinâ veterum versatissimis, non dico facultatem meam in dicendo approbavero, quæ nulla est ; sed voluntatem saltem hâc in re devotissimam ac certissimam demonstravero : ratus ita fore, ut, quoniam horæ brevioris momento concludimur, id æqui ac boni accipiatis, si plura exponendo quam probando enunciauerimus.

P A R S P R I M A.

FUIT non ita pridem in re nostrâ literariâ, AUDITORES, cùm unum omnium iudicium, unus gustandi sensus erat, probatus omnibus. Placebat illis temporibus, ut mos vitæ simplex, sic orationis forma, expers fuci, naturali decore perfectâ, viribus propriis nixa & vegeta. At posteaquam illa optimorum Auctorum salubritas minùs existimationis habuit apud vulgus, cui nova quæque & insolita arrident magis, paucique auream illam poterant perpetui corporis, & pleni numeri orationem extendere; tum, more deflexo, coëptum est genus illud celebrari concisum membris, nitens lapillis, depictum coloribus: & quoniam deerat illis vis rationis, rerumque substantia, concinnabant sententias eminentes, figuras illustres disponebant, quo imperitis fucum facerent, doctorumque prudentiam eluderent.

Illo in gustu literaturæ antiquiori, id curæ erat præcipuæ ne non recta appareret indoles ingenii, suopte robore florens valensque: in hoc novello ac recenti more, ea maxima est diligentia, ut subtilis ubique & arguta exultet licentia. Ille, interpretatur naturæ, quod in animis hominum latet generatim, avet explicare; nihil non verum præfert, nihil non planum, nihil non audienti cuique & communi illi rationi ac sensui obvium: hic, artis ostentator, hoc unum metuit, ne id designet quod non admirabile sit, non ex ignotis locis advectum videatur, non, aut singulariter excogitatum, aut elaboratum pretiosè, aut translatum audacter, aut denique gypso & larvis à communi more ac sensu alienatum. Quid pluribus hæc contendam apud vos, quibus utriusque ingenii discrimina satis explorata sunt & nota divortia?

Nunc quantæ causæ stent in societate communi hominum, ut ille recentior gustus ne invadat, sed qui veterum est, vim suam usque ac decus obtineat, id nemini dubium fore arbitror, cùm & quæ emolumenta ex genuino gustu literarum existant humano

generi, expenderimus, & quæ etiam inde ornamenta virtuti proveniant.

Verum est effatum, AUDITORES: ut cujusque ingenium fuerit, perinde eum etiam vivere: ingenium verò cujusque quod, aut quale sit, id ab iis pendere quibuscum à principiis communicata ratio fuerit, susceptaque primùm vivendi auctoritas. Quibus verò auctoribus ducuntur homines, cùm incerti ignarique rerum omnium, vitæ rationem primùm ineunt? quarum impressione manuum jam tum incipiunt flecti in mores, & futuræ deinde omnis vitæ figuram quamdam ducere? quod eorum infantiae alimentum paratum, quod virtutis magisterium, quod rationis instrumentum aptum & idoneum? præterquàm Musæ bonæ illæ ac Literæ, idcirco *humaniores* nuncupatæ, quòd feritatem quamdam naturæ humanæ edomare videantur leni tormento doctrinæ, & ad humanitatem illam suavissimam, quâ universitas virtutum civilium continetur, erudire ac corrigere.

At si pugnant inter se studia illa literarum, non bona cum bonis, vera & certa cum vanis atque inutilibus; creditis eò nihil aut parùm momenti afferri rebus humanis utra castra vicerint?

Quæ enim aliæ tantæ causæ essent, cur pars illa tota humani ævi quæ tenerrima est, adeoque boni seu mali, utrum injeceris, retinentissima, quæ tantæ, inquam, causæ extarent, cur illæ veluti ævi nostri primitiæ Musis consecrarentur, ex antiquâ sapientum virorum institutione? quamobrem ab Regibus nostris augustissimis tot ædes, quasi totidem templa Musarum & Artium, suis quæque locis educatæ & paratæ? cur denique tantum curæ ac sollicitudinis illi ditionis suæ parti procurandæ addidissent olim, adderentque? Ut scilicet aliquis ex intervallo appareret unus sive orationis sive carminis artifex singularis, qui versum aliquem veterum legitimâ arte perfectum degustaret ipse scienter, aliisque item degustandum proponeret?

Longè aliter illis viris rationem institutam putem, ut de genere humano optimè mererentur. Rem videlicet ita peractum iri intelligebant prudentissimi homines, ut cùm studia literarum om-

nis doctrinæ fontes demonstrarent aperirentque; tum inter illos apparatus ætas puerilis luderet quasi in limine sapientiæ, vera prælia vitæ meditaretur in illis Musarum palæstris adumbrata, quid dictu factuve bonum esset jam tum conjiceret, facto denique sui & rerum humanarum periculo in hominibus demortuis, prodiret homo novus ex illâ quasi humanitatis officinâ, arte Musarum ad virtutem elaboratus & ornatus. Sic Medicorum laudatur ingenium atque utilis industria, qui, artificium suum priusquam applicent corporibus nostris, hujus experimentum & fiduciam quærere solent ex mortuis, ut per eos quorum nullus dolor esse jam potest, id perdiscant quomodo vel parum nos, vel saltem minùs doleamus.

At enim tantas res quispiam putet ex studiis spectari ejusmodi, quorum tota ratio in verbis deligendis collocandisve occupata sit?

Malignè omnino studia hæc, aut etiam odiosè, interpretaris, quisquis eorum occupationem tali contemptu elevas. Quamvis enim esset vel hoc non mediocris prudentiæ, si vellemus temeritatem adolescentium periclitari in verborum judiciis, in quibus gravis nulla offensio erroris suspecta esse possit; quis tamen non longè majorem fateatur illis usu-venire experientiam ex ipsarum rerum cognitione: quæ res in libris optimorum Scriptorum expressæ, naturæ nostræ ac fortunæ vires, modos, conversiones, instrumenta, momenta, fata, sic ad vivum representant, ut ex rerum illarum contemplatione assiduâ necesse sit in mentibus formas rerum similium generari, quæ animis impressæ penitus, eodem deinde tenore ad mores vitæque conformationem pertineant: id ita agente naturâ mortalium, ut si quis animum suum ritè in operibus bonis exercuerit, manibusque probata exemplaria tractaverit assiduè, is morem inde similem retineat in omnibus rebus suis, seu agat quippiam, aut dicat, aut cogitet; adeo ut forma illa virtutis quam animo habet comprehensam, perficiat naturam ejus universam, velut regulâ communi, cogatque in plerisque eundem colorem vitæ & sententiæ referre, quem oblatis moris exemplo imbibit.

Quanquam non hoc ita à me dictum accipi volo , ut qui generosum literarum gustum susceperint , ii bono usquequaque more versentur ; & contrà malo , qui vel nullas , vel minùs probas literas habuerint. Sunt cum literis mali homines , & sine literis optimi reiquepublicæ diligentissimi , quis neget ? Sed literas aïo , unum è multis instrumentum datum esse mortalibus ad comparandam humanitatem ; quo qui careat , eum non mediocri carere adjumento virtutis ; qui autem legitimè usus fuerit , meliorem illum evadere ac perfectiorem ; tandem qui illarum usum bonum interverterit , generosam quamvis indolem naturæ suæ adeo corrumpere , ut plerumque & ipsi , & reipublicæ , fatiùs multò fuerit nullas eum omnino literas cognovisse quam non probatissimas habuisse.

Et verò rem ipsi vos pensate sensu vestro , AUDITORES , ac iudicio æstimate , quibus artibus aut præceptis imbutos informatosque habere velitis homines in republicâ vestrà ac vitâ civili ? Laudamus politicum hominem , qui partem reipublicæ gravissimam sustineat humeris , populares verò suos onere iniquo levet , quantum fas est : Magistratum amplectimur , cujus integritas & constantia tueatur cives , improbos terreat , inopum ara sit & fiducia : Antistitem admiramur , cujus animus excelsus ultrò emineat , sanctissimoque muneri dignitatem etiam adjiciat : cæteros exsequi eâdem ratione ordines civium quorsum attineat ? Eos , quæso , homines velitis , in tantorum vitæ munerum apparatu , in illâ meditatione rerum gravissimarum , deliciis occupari , bullis & præstigiis assuecere ? & non eorum potiùs doctrinam & morem sequi , quorum verus labor in naturâ simplice ac severâ exercitatus , non ingeniis induat illecebras inanes , fucumve deformem mulierum ; sed morem generosissimum virorum instituat virtute verâ moderatum cum pulcherrimâ indole ? Richelæos creditis aut Colbertos , illos administrandæ Reipublicæ auctores prope divinos , Thuanos , Memmios , Lamonios , legum jurisque tanta lumina , Huetios , Bossuetios , Burdalæos , animas illas ingentes , quorum virtus admirabilis pars magna gloriæ Gallicæ est ; creditis illos non artibus illis
bonis

bonis ac severis ad tantum fastigium evasisse? Aut si eos arbitramini indole solâ & ingenio naturæ, sine ullis doctrinæ adminiculis eò pervenisse, quòd tamen à vero abest longissimè; creditis disciplinâ illâ, cujus occupatio est in nugis vanisque verborum ludibriis, non impetum illum naturæ ingentis impediendum fuisse, non mentium altissimarum conatus avertendos illis blandimentis fallaciæ, non etiam tanta illa laudis & felicitatis publicæ instrumenta peritura, aut quod miserius est, labem ac perniciem allatura fuisse reipublicæ?

Est enim hoc in literis, AUDITORES, quod in optimis rebus esse solet, ut cùm iis profint plurimùm quibus bonæ probabuntur, illis contra tantumdem noceant, quorum mos & ratio degeneraverit. Cujus quidem rei exempla non in hominibus aliquot obscura sunt & incerta, sed in populis universis apparent luculentissima. Quis enim nesciat ita crevisse quidem res & laudes Græcorum Romanorumque, ut virtute primùm, agresti illâ ac feroci, nomen sibi, terrorem populis fecerint; tum verò virtutem illam suam, addito literarum cultu & nitore, lenierint, auxerintque splendore maximo; at deinde vergere primùm cœpisse, ac retro sensim fluere, cùm, literis eorum ad lasciviam inclinatis, vigor animorum remisit quoque; donec, malo serpente & ingravescente in dies, id denique secutum est, quod omnes norunt evenisse: eventurum verò pauci admodum præsenferant, quòd mali labes abdita in ingeniis hominum, horrorem sui non faceret, & delicatissimo halitu Musarum in populos divulgaretur?

Quæ causæ, AUDITORES, cùm magnæ sunt & veræ ad præveniendam literarum corruptelam; tum aliæ item valent gravissimæ, quòd, optimo Gustu sublato ex literis sua maxima pereant ingeniis & virtuti ornamenta: quæ nulla possunt sine bonis literis idonea esse, aut diuturna permanere.

Notum est hoc esse in rebus humanis, ut pleraque ceptis opinionibus decidantur, nec inde stet maximum pondus ubi plurimum virtutis fuerit, sed unde prædicatio major & fama longè clarissima. Atque id non injuriâ quidem; quippe quod cùm maximæ virtuti maximam gloriam, ceu corpori umbram, addixerit natura;

virtutem eam summam esse, cujus existimatio & opinio egregia fuerit, ea verisimilis præjudicatio est.

Quæ utilitas gloriæ tametsi non tanta ostenderetur quanta revera est, solumque decus ejus & splendor attenderetur, qui inde in viros fortes refulget; quid pulcrius, quid magnificentius, quàm in tota gente aliquem hominem existere, vel in toto orbe aliquam gentem, quæ, seu naturæ indole, seu studiis doctrinæ, cæteris vel hominibus, vel gentibus excellat? quæ laus non spatiis locorum, non temporum intervallis terminata sit; sed vitam & virtutem virorum ingentium videatur in ævum sempiternum prodere, & cum humani generis finibus ac perennitate adæquare.

Atqui spes nulla rata ejusmodi aut firma esse potest, quam non ex veteris literaturæ gustu ingenioque spectaveris. Nulla alia monumenta sunt rerum illustrium quæ tam latè, aut tam citò differri possint, aut tam diu permanere. Cætera omnia, quæcumque sint, aliquam levem fortasse famam ferant, rumoris instar incerti, aut vocis intermortuæ; non illam excitent perpetuæ admirationis celebritatem quæ secula omnia hominum, omnia tempora impleat durabili & recenti usque memoriâ.

Quæ enim ad nos pervenêre ex antiquâ recordatione virorum fortium præconia, non illo ingenuæ literaturæ quasi sigillo insignita & impressa? Quò evasissent moles illæ ab regibus excitatæ immansi pecuniâ & populorum patientiâ? quò civitatum exædificationes ab illo Asiæ domitore celebratissimo; quò nomina Imperatorum, Tyrannorum terrarum regionibus indita, ut cum terris ipsis æterna perstarent? quò hæc omnia pertinuissent? nisi literarum bonarum commendatio subvenisset, quæ monumenta illa, vel annis edacibus absunta recrearet, vel ruinis obruta suis excitaret, vel temporum caligine obscurata illustraret, vel denique locis quæque suis, brevibus sanè, coarctata, latissimè, toto orbe terrarum, celebraret ac diffunderet.

Unde tanta Græcarum Romanarumque rerum claritas venit per totum genus mortaliū? Quiane illarum gentium virtus egregia præ ceteris fuerit? aut fidelioribus annalibus servata? aut ære vel marmore insculpta? aut denique decantata vikatim per ur-

bes & populos? Quid enim eorum vel Barbaris defuit? illis præsertim quorum virtute è Scythico Germanicoque latere exortâ, illud ipsum Imperium Romanum impulsum, deminutum, sublatum denique est? At quoniam literis genuinis virtutes eorum non exornatæ sunt, & ad venturas ætates proditæ, obscurâ famâ delituere illæ, nec decus suum ac celebritatem potitæ sunt.

Græcorum verò & Romanorum res gestæ perstiterè victrices per tot discrimina hominum procellasque temporum; ubi quid otii nanciatæ sunt, virtute suâ emicuere, ipsam etiam barbariem admiratione laudis deliniere. Quid ita? Quia illarum rerum prædicatio ad normam legemque naturæ exacta, naturæ voce veluti promulgata, ejus manu ferme exarata, naturam denique testem, magistram, interpretem secuta, in animis hominum insedit facillimè, coaluitque adeò, ut tum demum nullam claritatem apud homines habitura sit, cùm nullus nullibi virtutis, aut veri honos erit, nulla humanitas, nullum denique genus humanum remanebit.

Et illam non persequamur, non amplectamur omni studio naturæ legem, in quâ pignus depositum sit immortalis ævi, & laudis sempiternæ? Eam repudiemus superbiâ, quòd simplice nimium cultu versari, nihil præter candorem suum præferre ac tueri videatur? Ergo invadat genus illud abnorme, temerarium, maculosum, quantumvis non prosperè tentatum vel suis auctoribus? Regnent illi in studia nostra è tenebris suis excitati, quorum spes à sæculo proximè elapso, non dico ad posteritatem non ventura sit, sed ne ad nos quidem, ipsis tantum non coævus, perducta est? Atqui, illis ævo suo non defuit cohors laudatorum numerosissima quæ subsidio esset; & vulgus, cujus stupor est in phaleris, favebat maximè; ingenisque illorum nubes, quippe quòd nugari minoris negotii sit quàm sapere, rem totam nostram literariam quasi diluvio inundaverat: ita tamen depressi omnes sunt, ita damnati aliquot annorum momento, ut vix cujusquam nomen è communi naufragio emerferit: amnium illorum similes quorum è nimbo verno rivus temerè per agros meat sine alveo, donec vel haustus terris nullus jam supersit, vel sole tepido tenuatus in auras evanuerit.

En illi sint quorum auctoritate testata, laudata, clara per or-

bem terrarum universum laus feratur, qui ne apud suos nominati quidem fuere aut cogniti? Illis testibus per ætates omnes vivant nomina illustria, crescat recens usque fama & commendatio virtutis, qui, ignoti & ignobiles, vel ævo suo intabuere, & in cunabulis suis oppressi & extincti, funera sua deflevare ipsi cum vivendi exordio conjuncta?

Imo, imo! si quis apud nos respectus posteritatis, cujus existimatio & judicium fortes viros semper movit maximè; si qua præsentis etiam gloriæ & claritudinis diligentia; illa fovebimus studia, quæ per omnes ætates & gentes valere; illas literas conservabimus, quibus facta & consulta virorum ingentium conservata sunt. Atque ita ne nos eâ mercede laudis fraudemur ipsi, quæ patribus nostris plenissimè amplissimèque reddita fuit Ludovici magni ætate, à clarissimis ingeniis; reddendaque item est nostris temporibus, quibus, si fas ea æquis oculis aspicere, minimè defecere virtutes quæ admirabilitatem habeant apud posteros & imitationis incitamentum.

Non mirentur enim posteri illam REGIS fortissimi constantiam & virtutem, cujus exemplum etiam in augustissima FILII sui indole impressit, cùm regium animum suis, intuitu præsentis, in acie infunderet, laborantibus vires novas sufficeret, hosti acerrimo & pugnacissimo victoriam ore suo regio & vultu eriperet?

Non illam adamant clementiam Ejus & comitatem, quæ cùm laus Gallorum è præcipuis una sit, ita in rege optimo cernitur eminere, ut inde tamquam è plenissimo fonte videatur in gentem universam exuberare?

Non inauditam illam ad cælum extollant, quæ magis veteris exempli sit quam horumce hominum, moderationem atque abstinentiam, quâ ex tot victoriis, nihil retinuit Sibi, nihil suis, præter laudem & famam æquitatis; cætera vel hostibus participanda communicavit?

Quæ laus cùm maxima Regis erit, AUDITORES, & maximè admirabilis; tum Gallorum nonnulla etiam existet, quorum fide, virtute, audaciâ res gestæ tantæ sunt.

Galli enim, auspice LUDOVICO, duce MAURICIO, confertas

ferro acies perrupere, oppida munitissima vi cepere, arces inaccessas impetu inaudito rapuere, ut sæpe rei gerendæ famam celeritas gestæ præverteret.

Galli, CONTIO imperante, Regem illum, bellatorem acerrium, ex Alpibus fulminantem, aut aviis arcibus dejecere, aut nives inter & saxa pepulere, aut rupibus etiam suis tanquam claustris coercuere.

Galli, Boëmio bello, cum inter infida & infensa omnia hærent, cum essent omni spe externâ destituti, exercitibus numerosissimis obsessi, omni commeatu exclusi, hostes profligavere assultantes, lacessentes repulere, insequentes eludere aut multare; ut cum cæteris bellis, Gallicæ fortitudinis specimen præstitissent Europæ, hoc, constantiæ & tolerantia plusquam Romanæ exempla ediderint.

Magna sunt hæc sanè, & magnificam laudem ad posteros habitura; quæ tamen aliud longè est magnificentissimum: exemplum cujus à majoribus nostris ad nos delatum quidem est, sed à nobis auctum & illustratum ad nepotes nostros traducendum sit: amorem illum dico Gallorum in Regem suum, quo nec pietas illa filiorum clarior unquam fuit aut nobilior: cum ei in bellis apparandis, opes suas & corpora, in periculis quæ ipse pertulit, fletus suos miros ac dolores, in præliis cum hoste pugnandis, sanguinem animasque commodarent, effusè projicerent. Qui amor posteris laudatus dignè ac propositus, ætatis nostræ longè optimam existimationem fecerit, demonstretque & spiritus verè Gallicos in nobis extitisse, & nequaquam degeneres à nobis ad posteritatem nostram pervenisse.

Hanc verò mercedem laudis & gloriæ frustra spectaverimus, nisi eundem illum Gustum literaturæ retinere ac tueri conabimur, quo res maximæ gestæ olim conservatæ sunt. Quod quidem ut fiat, quâ cautione procurandum sit, quâ arte aut viâ insistendum, ut ne excidat omnino ille Gustus, qui jam videtur nostris ingeniis minùs ac minùs placere, id superest alterâ Orationis parte breviter exponendum.

P A R S S E C U N D A.

SÆPENUMERO venit mihi in mentem, AUDITORES, illorum temporum, quibus vera & genuina literatura apud nos viguit, omnemque effectum suum sortita est; idque non video aliunde provenire quàm ex eo quòd optimi exempli Auctores proponerentur discipulis, docentibus verò optimorum & illustrissimorum hominum auctoritas accederet. Quod utrumque ut ne hisce temporibus desit, stat unumquidem ab ipsâ ACADEMIA nostrâ, si morem majorum suorum constanter retineat; alterum verò à SUPREMO SENATU, si pondus suum maximum dignitatemque Ordinis sui amplissimi Academiæ adjiciat, præsidio, patrocínio, tutelâ suâ singulari.

Quemadmodum fingeant poëtæ matrem illam Deûm centum nepotes complexam, cœlum omne suâ progenie numerosissimâ implevisse; ita mihi in animo libet representare Academiam Parisiensem, quæ virorum ingentium infinitum numerum videtur amanter recognoscere, quos sinu suo enixa est, & bonis artibus instructos effudit, non per Gallias modo, quas ornavit tot virtutibus suis ac disciplinis; sed per Europam totam communicavit populis, quasi è communi & plenissimo Musarum & Artium emporio.

Unde verò, & quâ viâ ingressa, ad tantum decus illa pervenerat? Video vos id jam cogitando præsumere, AUDITORES, & consensu vestro obvius statuere ita evenisse, quòd veterum morem & studia affectaret maximè Academia, saluberrimisque inde haustis fontibus uteretur ipsa, alumnisque suis utendos proponeret.

Sed postquam attentare morem illum ausi sunt homines, & exorta ex radicibus veterum nova ingeniorum soboles florere cœpit & comam attollere; tum fidere illi sibi mirum in modum: collato etiam cum parentibus gradu, æqualitatem affectare: mox & principatum ipsis derogare velle; sibimet arrogare: donec vulgarâ, ut fit, novitate per vana ingenia, discipulorum virtus relan-

guere visa est, & Academia ipsa, quamquam vigor doctrinæ ejusdem in eâ perseverabat, posito velut capite, dolere ac gemere.

At nunc istâ præmiorum institutione recreatis studiis, & à mœrore morboque suo resectis velut novo lumine, rugas exhilaret verendas Parens optima, & renovato flore immortalis ævi, sua tueatur decora, quæ olim, tanquam obsides laudis suæ & doctrinæ, posuit per Europam universam. Ea augeat etiam & amplifiet iis artibus, quas hospitio exceptas quondam, cum profugerent locis suis, experta est fideles in erudiendis mortalibus ad cognitionem naturæ & morem perfectæ humanitatis. Iisdem militet etiam nunc Argivorum phalangibus, cohortibusque Romanorum, quibus profligata olim ac devicta barbaries est. Eosdem adhibeat duces doctrinæ suæ, quorum præclara laus & ingens virtus omnibus seculis & locis fuit: Demosthenes dico, Sophocles, Homeros, Platones, doctores illos, magistros, monitores æternum datos humano generi. Addant se socios Latini nominis Imperatores, Livii, Flacci, Marones, & omnium instar ille vir immortalis ingenii, eloquentiæ quasi deus, nec minor sapientiæ & reipublicæ gerendæ auctor, Tullius. His nixa subsidiis, fidenter pugnet: eorumque armaturam levissimam excutiat, quorum tota in discursu & velitationibus gloriatio est, turbam instabilem, nullo suo robore firmatam, laceffere, assilire idoneam, & terrores subitos vanis ludibriis offundere.

Piget enim nugatorum, qui, quoniam nihil teli est gravis quod possint torquere in nos, odium ingerunt studiis nostris, si fortè inæqualiter tonsus nobis dissidet capillus, aut rupta alicubi toga hiat illita pulvisculo. Velint nimirum homines otiosissimi, ne quid dicam gravius, ipsorum similes esse viros quorum operæ gravissimæ sunt, assiduæ, quotidianæ, in ipsis veluti fundamentis rerum civilium demersæ, nec in ullâ parte munditiarum illarum muliebrium deficere! Velint eos quorum cum demortuis hominibus, aut senibus illis antiquis intenta & perpetua conversatio est, nihil inde paloris afferre in ore, aut in vultu severitatis! Non sanè meminerunt legere Cyri milites sudore aspersos, exustos sole, sordidos pulvere

& luto, miram Duci suo lætitiā fecisse, quòd agminis agendi magis quàm ornandæ comæ solliciti, stiterint se coram, torvo aspectu, & imperii solummodò non immemores.

Decantatam illam, si superis placet, calumniam adjiciant; totam græcismo rigere Academiam nostram. Rei vel hoc imprudentiæ suæ, ne dicam ignorantia, qui inde rigere homines putent, unde omnis rigor morum ærugoque deterfa est, unde omnes omnium artium veneres, adeòque ipsa illa humanitas suavissima polita est in nobis & perfecta. Ingerant commenta ejusmodi falsa & vana, nec velint oculis suis videre quod omnes boni vident, & verò probant maximè, Gallicarum literarum plurimam mentionem fieri in studiis nostris: poëtas nostrates, oratores, scriptores rerum, qui optimæ notæ sint, pridem receptos esse intra Academiam: eos cognatos antiquis, eadem magistrâ naturâ educatos, iisdem alimentis enutritos, haberi apud nos & habitare; non tanquam transfugas in castris alienis, aut hospites externâ in domo, sed tanquam cives in suo; coloris, saporis, formæ, naturæ similitudine in jus & corpus veteris literaturæ cooptatos ac translatos; studio denique eodem & pari diligentia observatos à nobis & cultos. Non sic quidem ut Veteres moverint loco, aut sedibus suis ejecerint; sed ita æquatis ab ipsâ Academiâ fœderum & societatis legibus, ut ex antiquis id maximè ostendatur, quo ingenio, quo delectu rerum & verborum dicendum sit; ex recentioribus verò, quâ moderatione & prudentiâ mos veterum sit usurpandus, ingeniisque nostris adhibendus: ut in veteribus pernoscentis labor maximus versetur & cura præcipua; in recentioribus verò perlustrandis, requies studiorum fructuosa quærat & delectatio animi liberalissima: sicque, consentientibus amicè tum veteribus, tum novis, planum fiat ingeniis ad veram doctrinam nitentibus, aut eâ quæ veterum fuit viâ perveniri ad id quod affectant, aut sine eâ omnino non perveniri.

Non enim qui literas veterum ablegant, ii Gallicas coli volunt, AUDITORES, sed omnino nullas haberi. Ecquis enim nostrum est qui nostrates ita perlegerit, ut non oblectamentum potius animi quam artis cognitionem quæsierit? quis tantopere & diligentia eos excussit,

excussit, ut cujusque generis naturam, leges, formas diversas in de perspexerit ac generatim perviderit? Perviderit verò: quâ auctoritate, quâ fide persuadeat sibi id animo comprehensum tenere quod usquequaque perfectissimum sit, cùm externas opes non attigerit, domesticos solummodò & indigenas cognoverit?

Verum enim verò ne istos quidem cognitos probè & perspectos habeat, quos omnino non laboriosè rimatus fuerit, sed quasi ludens pervolaverit: hoc natura invidente mortalibus, ut ne impunè aut sine magno labore artem ullam aut disciplinam possint perfectè cognoscere: gnara fortassè ingenii humani; ne tantum bonum suum negligeretur, quod sine magnis sudoribus quæsitum haberetur.

Ergo propositum suum urgeat Academia, & in suis artibus bene pertinax, rationem eandem tueatur ac promoveat, quâ floruit quondam, & porro florebit per ætates omnes ac populos. Hoc reputet secum: maximum momentum literarum in ea verti: ipsius famam, existimationem, auctoritatem non hisce unis mœnibus, quanquam vel amplissimis, non hoc toto regno, quanquam vel latissimo contineri; sed ubique pertinere quâ quidem nomen Gallicum, & aliqua bonarum literarum cognitio pervenerit. Hoc reputet, non ex eo ferri studiorum nostrorum judicium apud exteras gentes, si unus aut aliquis apud nos nostratis jam literaturæ eruditus sit; sed si illa quæ audit olim Musarum publicum consilium, artium parens, doctrinarum omnium regina & caput, ACADEMIA, antiquùm obtinere cognoscetur; si severa in ea & optimi moris studia perseverare; si veterum monumenta eodem usque honore coli, & pretio æstimari; quæ eheu! in ditionem alienam migrant quotidie, terrisque nostris efferuntur, tanquam spolia Musarum fugam ferme spectantium; si denique omnia eadem existimantur fieri & probari in universitate studiorum nostrorum, quæ olim studia illa ad summam laudem famamque pertulerunt. Tum & illud sequi videbitur, quod, & ipsi Academiae, & nomini Gallico amplissimum sit, ut quemadmodum nostra armorum gloria fulget magis ac magis, Regis ac Gentis consiliis ac fortitudine, ita & elegantiae

Atticæ, & urbanitatis Romanæ, & suavitatis cujusdam Gallicæ laudatores, auctores, præceptores simus apud illas gentes, ad quas fama bellicæ nostræ virtutis personuerit.

Nunc finite, quæso vos, qui adestis ILLUSTRISSIMI ORDINIS MAGISTRATUS, nomine Academiæ, & vestrorum etiam in eam meritorum, quæ cumulata olim, novâ iterum beneficiâ augetis, finite, inquam, vos hic compellem, dicamque quam intimo nexu & vobis literas, & vos ipsos literis, adeoque Academiæ nostræ, obligaveritis, cum novos census Musis nostris attribuisitis.

Credo id equidem non humano inventum consilio aut mente, sed divino prope instinctum numine, ut quo tempore Romanarum Græcarumque literarum spes ægra esset maximè apud nos, & prope deposita æmulatio, aliquis vestri respectus in eas fuerit; unde planum & probatum foret quantæ curæ illas literas viris cordatis esse oporteret, quas procurarent tantopere ii homines in quibus amor reipublicæ testatissimus cum rerum æstimatione prudentissimâ conjungeretur.

Ecquis enim dubitet literarum gustum optimum multum valere in republicâ, sive ad informandos animos civium ad humanitatem, sive ad propagandam virtuti laudem ac memoriam, illumque gustum verum & genuinum ex Academiæ nostræ institutis & doctrinâ haberi, cum vos tales viros viderit, eo splendore, eâ auctoritate præditos atque ornatos, præmia Musarum clarissima hoc in loco posuisse; eaque vos non voluntate tantum, ac curâ vestrâ promovere, sed intuitu etiam vestro præsentè amplificare & augere?

Cujus muneris quantum sit pondus in animos civium, cum ex tantâ illâ frequentâ cognoscere est, quam non conspectus vester illustrissimus & jucundissimus minùs quàm dies ille adeo Musis solemnis excitavit, & in hunc locum perduxit; tum ex eo maximè quòd viri boni non semel jam illius munificentiae laudem æmulati sunt, cujus exemplum primum Academiæ nostræ attribuisitis. Unus¹ literatissimus ille quidem & literarum amantissimus, qui volun-

¹ D. CAROLUS COFFIN, Collegii Dormano Bellovacii, dum viveret, primarius.

tatem suam illis devotam, perpetuo munere obsignatam reliquit. Quem virum, AUDITORES, de hoc loco laudatum jam vos cognovistis, & porrò musæ etiam suæ & carmina æternum laudabunt apud posteros. Alter, egregius civis,¹ qui cùm ingenium, artem, industriam suam addixisset cudendis perfectò artificio literarum monumentis, Stephanorum, Plantinorum, Elzeviriorum æmulator singularis, hoc eos longè superavit, quòd literas ipsas suo censu dotaverit, seque adeò jucundè frui laborum suorum præmiis ita demum existimavit, si ea cum literis ipsis benignè communicaret, fruendaque illis fœnore sempiterno redonaret.

Quæ laus si adeo jucunda est remuneratoribus, quòd virtuti præmium ponere coram vobis, sit pars quædam gloriæ pulcherrima; quanto jucundiorum fructum ejus iis esse necesse est, quibus additum pretium publica sit & solemnis demonstratio indolis suprà cætera ingenia eminentis! Quantis aculeorum stimulis excitari mentes juvenum arbitramini, animis reputantium illos plausus hujus diei, & illarum præsertim manuum in quibus jura sua sanctissima æquitas reposuit! oculis suis admirantium tantam Ordinis vestri majestatem, quæ cùm consentire suæ laudi cernitur, & ipsius virtutis esse, & ab ipsa virtute profecta esse videtur laudatio!

Tuque adeo, PRINCEPS SENATUS ILLUSTRISIME, intueri meminervis, dum frontes ovantium cinges modò laureâ victrice, totam arridentem tibi Academiam, in progenie suâ à te recognitâ exultantem, ex tuâ dignitate ipsam quoque refulgentem. Intuere omnes literatos, quorum hic longè ornatissimus & gravissimus confessus, omnes, quibus aut pars, aut spes aliqua similis gloriæ ex gnatis vel necessariis suis venire potest, eos intueri quo te vultu, quibus oculis intuebuntur! quibus studiis, quâ lætitiâ, quâ caritate amplectentur!

Fruere hoc illo munere pulcherrimo, PRINCEPS SENATUS ILLUSTRISIME, cujus ita est animus bonus, atque indoles popularis, ut tum dignitatis & naturæ tuæ optimæ & maximæ, fructum summum ca-

¹ D. JOANNES-BAPTISTA COIGNARD, Typographus Regius.

pias, cùm feceris bene, & quàm plurimis. Fruimini & vos cum illo, PROCERES ILLUSTRISSIMI, quos optimorum studiorum hortatores, testes, auctores, toto pectore recipit Academia. Vestrorum operum est sanare vulnera quæ aut malorum improbitas, aut imperitorum stultitia fecerit corpori Reipublicæ; quanto majus id erit & vobis magnificentius, si vulnera ipsa prævereritis sapientiâ; & auctoritate vestrâ præsentî, & doctores, & discipulos ad virtutem humanitatemque persequendam magis ac magis adjuveritis! Nostis hoc esse verissimum, omnium animis infigendum, iis verò crebrâ recordatione usurpandum ad quos pertinet cura reipublicæ: Omnem quæ secundum nos futura est ætatem, illam, inquam, ætatem omnem in manibus docentium nunc haberi; quæ optimum sortita esse morem suo ævo apparebit, si optima studia, veri amor, pudor bonus, candor antiquus in primâ institutione publicè obtinebit. Quid verò melius, aut majus, fieri possit humano generi, quàm si, quotannis, instructum his virtutibus supplementum novum societati transcribatur, unde odor legum & boni moris transpiret ad plures, ipsique communitati hominum felici contagione implicetur.

Quid jam superest, nisi ut vobis prolem illam suam, educatam utiliter, probatam vobis ipsis, & virtutis ergo remuneratam, in gremio deponat piissima parens Academia, oretque, si sua semper ad bonum publicum consilia intenta fuere, si vestris usque convenientia, quæ omnia ad pacem civium utilitatemque applicantur, si denique maxima studiorum & ipsius Academiæ spes in vobis jam reposita est, ut eos placido usque lumine videatis, eos foveatis perpetuo vestro patrocínio, quos aspectus vester suavissimus hodierno die recognovit, plaususque gloriosissimus illustravit. Quod si facietis, laboribus nostris incitamentum, studiis veterum dignitatem, humanitati præsidium ac subsidium reddideritis; remque adeo feceritis dignam vobis, reipublicæ saluberrimam, bonis omnibus longè probatissimam.

Et vos spei bonæ Adolescentes, velut aquilæ experti solis obtutu defixo, flos delibatus totius juventutis Gallicæ, pignora Reipu-

blicæ carissima, moneo, vel etiam, oro; si modò cognovistis gustastisque sensu vestro laudis pulcritudinem, quanta & qualis sit, quæ ex verâ virtute existit, eos Scriptores colite quibus illa referatis accepta Musarum ornamenta, plausu tanto virorum humanissimorum illustrata. Eos versate Auctores rerum & artium, ex quibus nemo non melior, non sapientior, non ad humanitatem paratior venit aliquando; ut severioribus studiis roborati, in omni arte bonâ instructi & perfecti, viri optimi sitis & reipublicæ paratissimi, virtutisque adeo vestræ fructum pulcherrimum capiat ipsi, & capiendum item referatis almæ Academiæ, atque sanctissimo Senatui, quorum operâ bonâ & merito singulari tales homines ac cives eveneritis.



blitae carissimas, memento, vel enim, oro; si modo cognovissis
 exaltissimas & castissimas laudes gloriosissimas, quibus & qualis sit
 que ex vestris virtutibus, eos & quibus colitis deus illa refo-
 ris accepit. Multum ornamentis, plantis tanto virtutem humanis
 limorum illustrata. Hos veritas Augures rerum & animam, ex quibus
 nemo non melior, non sapientior, non ad humanitatem paratior
 venit aliquid; ut sceleribus suis repositi, in omni re
 bona iustitia & perfecti, viri optimi sitis & reipublice paratissimi,
 virtutibus adeo vestris iustitiam pollicentur capitis ipsi, & ca-
 pientium item refores alme Academice, atque sanctissimas de-
 nam, quorum opus bene & merito singularem tales homines so-
 cietas exornant.

